



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Stoicorum error, de ira Dei sine gratia, refutatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

autem esse, non est tantum scire, quid cuique debeatur, sed ita res disponere, ut cuique eueniat, quod imperij iustitia requirit. Itaque & gratiam beneficium esse, & iuste irasci pertinet ad gubernantem. Quare & ira tribuenda est Deo, & gratia non detra-

Lactant. lib.
de Ira Dei.
cap. 6.

henda. *Hæc tuenda nobis, & asserenda sententia est, in ea enim summa omnis, & cardo religionis, pietatisq; versatur. Nam neq; honos ullus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti; nec ullus metus, si non irascitur non colenti.*

II.
Ibid. cap. 3.

Itaque primo illud nemo de Deo dixit unquam, irasci eum tantummodo, & gratia non moueri, est enim disconueniens Deo, ut eiusmodi sit potestate præditus, qua noceat & obstat; prodesse vero, ac benefacere nequeat. *Quæ igitur ratio, quæ spes salutis hominibus proposita est, si malorum tantummodo auctor est Deus? Quod si sit: iam Maiestas illa venerabilis, non ad Iudicis potestatem, cui licet seruare ac liberare, sed ad tortoris & carnificis officium deducetur. Cum autem mala sint in rebus humanis & bona, cur Deum malorum auctorem esse, & non etiam bonorum, dicemus? cur asseremus, diuinam illam potestatem, qua nihil est maius aut melius, nocere posse, prodesse non posse? Quamobrem ira Deo, sine clementia attribui non potest; aut vtraque concedenda, aut vtraque tollenda est. Epicurus & iram Deo, & gratiam negauit pariter, bis ineptus, ne dicam impius. Qui cum etiam Deo actionem omnem sustulit, vitam ademit, cum sit proprium viuentis agere, & intelligentis intelligere aliquid, & velle, atque erga alios gratia, aut ira moueri, præsertim erga eos, quos subiectos habet. Quæ maior, & quæ dignior administratio Deo assignari potest, quam Mundi gubernatio? quam cura viuentium? maximeq; generis humani, cui omnia terrena subiecta sunt? ait Lactantius. Quæ igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus, & immobilis torpet? si precantibus surdus, si colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam prouidentia? Sed si nihil curat, nihil prouidet, amisit omnem diuinitatem. Quod cum dici non possit, fatendum est, eum Mundo prouidere, hoc est, & ira & miseratione moueri.*

Ibid. Lact.
cap. 4.

III.
Idem. Lact.
cap. 5.

Error fuit Stoicorum; gratiam in Deo esse, iram non esse. Error fuit, inquam. *Nam si Deus non irascitur impijs & iniustis, nec pios utiq; iustosq; diligit. In rebus enim diuersis, aut in vtramq; partem moueri necesse est, aut in neutram. Itaq; qui bonos diligit, & malos odit: & qui malos non odit, nec bonos diligit, quia & diligere bonos ex odio malorum*

lorum venit: & malos odisse ex bonorum charitate descendit. Nemo est, qui amet vitam sine odio mortis; nec appetat lucem, nisi qui tenebras fugit. Adeò natura ista connexa sunt, ut alterum sine altero fieri nequeat. Si quis Dominus habens in familia seruos, bonum ac malū, non utiq; aut ambos odit, aut ambos beneficijs, & honore prosequitur; quod si faciet, & iniquus, & stultus est: sed bonum & alloquitur amicè, & ornat, & domi ac familia suisq; omnibus rebus proficit; malum verò maledictis, verberibus, nuditate, fame, siti, compedibus punit; ut & hic exemplo ceteris sit ad non peccandum, & ille ad promerendum; ut alios metus coerceat, alios honor pronocet. Qui ergo diligit, & odit; qui odit & diligit; sunt enim qui diligi debeant; sunt qui odio haberi. Et sicut is, qui diligit, confert bona in eos, quos diligit; ita qui odit, irrogat mala is, quos odio habet. Constat ergo, Deum nec solùm irasci, nec solùm beneficium esse, nec utroq; affectu carere. Quid igitur restat, nisi ut alijs irascatur, erga alios gratia moueatur? & sic Mundum, tanquam maximus Paterfamilias, utraq; virtute iustitiæ & misericordiæ gubernet? hos foueat, illos plectat, aut etiam immerentes exerceat, prout summæ illius placuerit Maiestati, & prout vnicuique optimum esse iudicàrit. Quod si homines vigilantissima fide crediderint, in omni fortuna constituti, & amabunt eum, & metuent, & bene patientes erunt, ut annuncient: *Quoniam rectus* psal. 91. 16. *Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo.*

Hac iustitiæ misericordiæque mixtura duo hominum genera erudiuntur. Sunt enim molles quidam, qui optarent, Deum ita bonum esse, ut nullum vnquam puniret, sed omnia conniueret; sic enim præmia tantum speranda, nulla supplicia mortalibus essent metuenda. Nimirū hi scelerum sunt patroni, nō innocentia fautores. Si enim iam tot inueniuntur, qui flagitiosè viuunt, quid fieret, si sine metu essent, & impunitate? Pyrrho Eliensis, in tempestate, conspiciens ceteros esse animo deiectiones, cum ipse nihil moueretur, ostendit porcellum, in nauī, securè edentem, dicens: oportere sapientem eam animantis imitari securitatem. Egregius sanè Philosophus, qui sapientiam voluit docere exemplo porci, cui anima pro sale est, & quo nihil insipientius potest reperiri. Hoc ipso enim hoc animal stolidum est, quia præsentissimum periculum non formidat. Homini autem Deus & natura non indidit tantum sensum voluptatis, ut bonis fruere, sed etiam futuri mali metum, ut discrimina cauere. Quare & ipse debuit iusti-

I V.

H tia